D. XAVERII DURINI

NUPER CREATI

EPISCOPI MARSORUM

AD CLERUM ET POPULUM

SUAE DIOECESIS

EPISTOLA PASTORALIS.



ROMAE MDCCCXVIII.

APUD FRANCISCUM BOURLIÉ

Superiorum permissu



D. XAVERIUS DURINI

ORDINIS S. BENEDICTI

CONGREGATIONIS COELESTINORUM

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS MARSORUM

VENERABILIBUS FRATRIBUS ET CHARISSIMIS IN CHRISTO FILIIS DIGNITATIBUS ET CANONICIS PAROCHIS CLERO ET POPULO UNIUERSO CIVITATIS AC DIOECESIS SUAE

Salutem, pacem, et gaudium in Spiritu Sancto

Expectans cum expectabam a Domino, ut intenderet mihi, et exaudiens preces meas, reduceret me ad dilectae solitudinis portum, a quo tempestas et turbo a saeculo non auditus ejecit, nominatione Clementissimi Regis nostri Ferdinandi I. ad invictum Summum Pontificem Pium VII. sum ad Episcopatum vocatus. Quantus me langnor animi invaserit, qua fuerim perturbatione completus, ille probe scit solum qui intelligit cogitationes de longe, qui scrutatur corda Deus. Cuilibet tamen attendenti patebit, quale evadat onus angelicis ipsis humeris formidandum ei, qui sui conscius, sibique consulens in aeque celebri, ac veneranda Magellae Eremo solemniter Deo devovit. Proinde non memorabo cur pro viribus humiliter institi, ut a me illud transiret. Potius quia a Domino sic factum est, Fratres Venerabiles et Filii in Christo charissimi, aperiam vobis cor, fi-

denter expectans opitulationes et gratias ad munus implendum, quas Deus daturus est iis qui fidem suam numquam mutant ab eo. Porro ut utar verbis M. Leonis, qui mihi honoris est auctor, ipse fiet administrationis adjutor, et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmitas, dabit virtutem qui contulit dignitatem: Ita ut qui coepit opus bonum, ipse perficiet.

Quantum autem in me erit, praecipue curabo ut sacrosanctum Fidei depositum, quod vel in ipsis Ecclesiae primordiis a D. Marco Apostolorum Principis concivi et discipulo accepisse gloriamini, integerrime custodiatur, attendendo ut etiam vocum novitates evitentur, si forte, quod non credo, in vos irrepserint post tot tantasque vicissitudines, quas potius oblivisci quam commemorare utcumque nos decet: Decor Domus Dei qua late patet custodiatur, promoveatur: Rudis populus instruatur, panisque evangelicus frangatur pueris, cum Sancta Mater Ecclesia interdum doleat, ejus etiam praecipua mysteria a nonnullis, si non penitus ignorari, confuse tamen cognosci et corrumpi: Juvenes in literis scientiisque Sanctorum erudiantur. Ut fidelis administer inveniar, miserear pupillorum et viduarum, sim oculus coeco, pes claudo, pater pauperum, caussas quas nescio diligentissime investigando, rebusque Ecclesiae ita utendo, non quasi propriis, sed ut mihi ad dispensationem commissis.

Quo autem facilius quae sunt in votis executioni mandentur, ad Vos primo me verto, Dignitates et Canonici Cathedralis Ecclesiae, qui merito Socii, Consiliarii, et Consortes mei haud dubito, quin praecipue

mecum laboraveritis in ministerio, ut nomina vestra scripta sint in libro vitae: potissimum vosmetipsos praebeatis exemplum omnibus in sortem Domini vocatis, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, ut nihil nisi grave, moderatum, ac Religione plenum praeferatis. Cumque sitis lux mundi, luceat lux vestra, dum psallentes in choro digne attente et devote Divinis laudibus satisfacitis, ut exaudiri mereamini ante conspectum divinae majestatis. Proinde ad D. Cypriani monitum cogitatio omnis carnalis et saecularis abscedat, nec quidquam tunc animus quam id solum cogitet, quod precatur: et uti clarius edocet Augustinus, si orat Psalmus, orate, si gemit, gemite, si gratulatur, gaudete, si sperat, sperate, et si timeat, timete. Luceat lux vestra in oblatione immaculati Agni, per quam Redemptionis nostrae renovatur memoria. Luceat in administratione Sacramentorum, per quae nobis divina gratia abunde confertur, ut cuncti videant opera vestra bona, glorificent patrem vestrum in coelis, qui dedit potestatem talem hominibus, ejusque bonis sub tanto exemplo impleantur.

Ad vos modo sermonem animumque convertens, seniores Cleri, Parochi spectatissimi, contestor et obsecro, ut pascatis qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia sed voluntarie, neque dominantes in populum, et cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam. Praecipuas muneris vestri partes esse, probe jam scitis, annuntiare Evangelium omni creaturae

vobis commissae, et quidem non persuasibilibus humanae sapientiae verbis, nec in sublimitate sermonis, quae de lecet praedicantem Jesum Christum Crucifixum, sed in ostensione spiritus et virtutis quae simplicitate congaudet, ut audientes corde intelligant, et convertantur. Nec pro vestra probitate quemquam urgebo verbis D. Bernardi docentis: Dabis vocem veritatis si quod suades aliis, tibi prius cognosceris persuasisse. Dicam vero cum Apostolo, aperte et libenter praedicate verbum, instate opportune importune in omni patientia et doctrina. Nemini parcite, sed recordamini nolle Deum mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, inque detergendis eorum plagis oleum cum vino esse effundendum plus minusve juxta indolem, habitum, dispositionemque uninscujusque, ne vel dura severitas ad disperationem impellat, vel immodica indulgentia peccandi foveat licentiam. Cavete ne panem Angelorum haud bene instructis in praecipuis Trinitatis et Incarnationis Dominicae mysteriis tradatis, ne quemquam absque baptismate in pueris, salutari viatico in adultis de hoc saeculo migrare vestra culpa patiamini, neque animas in extremo agone luctantes subsidio fraudetis, ne quando Dominus de manu vestra earum sanguinem quae perierunt exquirat.

Haec etiam commendo vobis dilectissimi Sacerdotes et Levitae, quibus si non omnia ex justitia, spectant tamen ex charitate, quae numquam satis impenditur. Nemo proinde despiciat animo, vel quia animarum curas proprio jure non exercet, vel quia summis non est ornatus talentis: qua enim mente respondet Ambrosius, is qui proximis profutura enitesceret utilitati caeterorum se-

cretum proponit suum, quando ipsi summi Patris Unigenitus ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum, et ante dixerit Daniel, qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos quasi stellae ad perpetuas aeternitates. Metum autem omnem admovet Bernardus, quasi devotio tua, ut ad discipulum scribebat, accepta non sit ex eo quod habes, sed ex eo quod non habes. De solo tibi credito talento respondere tibi para, securus de reliquo. Ut vero possitis exhortari in doctrina sana, et contradicentes revincere, omissis et repudiatis musis theatricis, Divinarum Scripturarum consideratione et tractatione pascatis animum, ut quod docetis, discatis. Immo de manibus vestris numquam sacra Lectio deponatur, et tenenti codicem somnus obrepat, cadentem faciem pagina sancta suscipiat, ut apposite eleganter scripsit Hieronymus. Unum addam charissimi, vos cum magno Praesule hortando, quod si forte sit opus, emendetis et corrigatis actus vestros, et non expectetis correctionem alienam. Unusquisque vestrum plenius se novit, discutat semetipsum et extollat conscientiam suam, ut in ea colligat fructus vitae. Sic agendo eritis omnibus admirationi, et ii qui ex adverso sunt, nihil habebunt malum dicere de nobis. Scitis enim non defuisse, et utinam nostra hac tempestate deessent, qui trabem non considerantes in propriis oculis, alto supercilio vident festucas in oculis Clericorum, ut in Ministris Religionem ipsam, quam oderunt, criminentur.

De Vobis maxime sollicitus, Juvenes amatissimi, novellae olivarum in Seminario degentes exhortor ex ani-

mo, ut vestris actibus verum Seminarium bonarum arborum locum quem incolitis, reddatis, et vere plantationem Domini ad glorificandum. Nolite spes Ecclesiae, Patriae, Parentumque fraudari, quorum aliqui necessariis quandoque eorum aetati et conditioni privantur, ut in vobis indulgeant, vos meliores exaltent. Mementote sapientiam, quae ex Deo est, praeponendam esse regnis et sedibus, et divitias nihil esse in comparatione illius, quoniam omne aurum arena est exigua, et tamquam lutum aestimabitur argentum in conspectu ejus. Mementote omnia esse instabilia, praeter virtutem, quae quanta vis adversa vicissitudine non amittitur vereque propria appellatur, cum caetera potius extrinseca dici debeant, ipsumque laborem, quo ad acquirendam est opus, ipsius pretium adauget. Quod si quaedam incomoda inseparabilia a conditione vos angunt, considerate ea plus minusve comitari quemlibet vitae statum, et bonum esse viro, cum portaveverit jugum ab adolescentia sua, quia non repellet in sempiternum Deus. Obedite praepositis vestris, eosque honorate; Deo enim parentibus et magistris numquam satis, praesertim cum ipsi prae oculis habeant mitissimi inter Patres eloquia. Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos; studete magis amari quam metui, et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica. Matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis, mansuescite, ponite severitatem, suspendite verbera, producite ubera, pectora lacte pinguescant, non thypho turgeant.

Quibus vero verbis vos alloquar, religiosissimi viri, vitae coenobiticae professores? quonam praeconio vo-

cis sublimitatem vestrae paupertatis exornem, cujus praesidio a rapaci vortice praeteritorum temporum absorpti penitus non fuistis? Unca manu confractis salutaribus illis vinculis, quibus vestrum corpus colligebatur, adhuc tamen extitit ad Ecclesiae bonum sola virtute membrorum, quae primam fidem irritam non fecerunt, vitamque vixistis incomodam et destitutam adminiculis illis quae ad institutionis sapientiam, eam quodammodo solabantur. Duplicate fervorem, aemulamini charismata meliora pro ratione beneficiorum, quae Deus vere misericors per piissimum Regem nostrum vobis est elargitus. Vosque, qui a paterna domo expulsi iterum in Domino congregabimini, gratias ei agentes pro tanto beneficio renovate, claros dies Patrum vestrorum, qui vobis locuti sunt verba Domini, ut quotquot vos spectaverint, vestris instruantur exemplis, et scientiae charitatisque vestrae fructus experiantur.

Neque Vos praeteribo mites claustrorum incolae, flores campi et lilia convallium Virgines Deo sacrae, quae septis estis circumdatae, quasi rosae spinis, ut securius germinare possitis in suavitatem odoris. Vigilate ne adversarius vester diabolus qui circuit quaerens quem devoret, tentet effundere charitatis oleum, ut lampades vestras extinguantur, quibus ornatae ire obviam, et coram sponso stare debetis.

Meam tandem orationem ad Vos converto, qui non sacris addicti, Magistratum regentes, aut chamyde, aut ense, aut alio decore fulgetis, et ad omnia Familiarum Capita et membra; omnesque precor in Domino, ut quantum in vestra est potestate, Religionem bonosque mores ex

animo protegatis. Sic agendo fideles eritis administri Religiosissimi Regis, cujus vices geritis, et satis etiam vestro muneri optime facietis, cum Imperii culmina, privatarumque domorum felicitas eo magis sint sarta et promota, cum fundamento, quod neque vi, neque tempore concutitur, fulciantur. Philosophi ipsi post eum, quem dixere Divinum, quibusdam solis exceptis saeculi quod illuminatum audet nuncupari, ne disputationes quidem de Religione tolerandas esse docuerunt in bene morata Republica: Et Rex magni nominis sapientissime monuit, inutiliter Principes expectare fidelitatem a populis, qui Deo fidem detrectarunt, quod misere experimento probavimus. Parentes filiorum curam habeant ad erudiendos in spiritu intelligentiae et pietatis, neque subtrahant ab eis disciplinam, si enim percusserint, non morientur. Aliud namque est solerter diligere, aliud immodice connivere. Haec praesertim Matres intelligant, quae ocius serius etiam in hoc saeculo poenas luunt immoderati earum affectus. Filii obedite parentibus, hoc enim placitum est Deo. Viri diligite uxores vestras, et nolite esse amari apud illas. Mulieres autem subditae estote sicut oportet in Domino. Servi obedite per omnia, quae legi Dei non adversantur, Dominis carnalibus non ad oculum, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino. Et Vos Domini eadem facite illis remittentes minas, scientes quia et illorum et vester Dominus est in Coelis, et personarum acceptio non est apud Deum.

De caetero, Fratres et Filii charissimi qualescum-

que estis, pauperes et divites, mares et foeminae, juvenes et virgines, senes cum junioribus nolite conformari huic saeculo, caventes ne vos decipiant per philosophiam, et inanem fallaciam, et si vos lactaverint peccatores, ne acquiescatis illis. Potissimum autem veram charitatem vobis commendans, quae vinculum est perfectionis, et sine qua etiam si linguis loquamur hominum et angelorum, facti erimus veluti aes sonans et cymbalum tinniens, de duobus moneo quantum possum in Domino. Alterum, ut in contractibus bona fides servetur, et aequitas, propriumque emolumentum quaeratur, sed legibus aequi et honesti, neque pauperes praesertim opprimantur usuris, quae multis ab hinc annis excreverunt ultra quam credi possit. Alterum, ut cum humilitate et mansuetudine supportantes invicem in charitate solliciti sitis servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Odia, dissentiones nec nominentur in vobis: Si quis adversus alium habet querelam, sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos: qui sapientior aliis creditur, ipsorum compatiatur infirmitatibus, glorietur tantum in Domino, eique gratiarum referat actiones: et si maxima etiam in suis fratribus deprehendat errata, recordetur praeclarissimi Ecclesiae Africanae luminis effati: nullum peccatum facere hominem, quod non faciet alius homo, nisi adjuvet Rector, a quo factus est homo. Quod si peculiares, justaeque rationes efflagitent, ut propria jura quis debeat tueri, ita agatur juxta ejusdem eximii Pastoris eloquium, ut bellum habeat necessitas, pacem voluntas.

Interim expectantes adventum meum, (utinam vobis gratum!), quo citius per tempestatem, in qua versamur

potuerit, sine intermissione orate pro felici statu Sanctae Matris Ecclesiae, ejusque vere PIO Supremo Rectore, ut quem Deus ad exemplum heroicae humilitatis, aeque ac fortitudinis congruenter tempori nobis donavit, in aevum salvet et muniat: pro incolumitate Augustissimi Regis nostri FERDINANDI, quem summa Religione ac clementia praestantem Deus miserator nostri ad patrium thronum reduxit: et pro me indigno vestro Pastore, ut quem de pulvere suscitavit Dominus, ut solium teneret, adjuvet gratia, qua possim verbo et exemplo quibus praesum proficere, ut ad vitam una cum mihi grege concredito perveniam sempiternam.

Quo vero preces vestrae fiant apud Deum acceptiores, B. Mariae Gratiarum, cujus titulo Principalis Ecclesia condecoratur, S. Sabinae Virginis, et D. Berardi Martyris, quibus de Dioecesi et Civitate mandavit Deus, ut custodiant in omnibus viis suis, intercesionem impetrate. Et Benedictio Domini super Vos.

Datum Romae extra Portam S. Laurentii VI. Kal. Januar. ipsa consecrationis meae die An. MDCCCXVIII.

I M P R I M A T U R

Si videbitur Rmo P. Magis. S. Pal. Apostolici.
Candidus Maria Frattini Arch. Philipp. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Dominicus Piazza Ord. Praed. Magister.
et Socius Rmi P. M. S. P. A.